



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Claudii Fleury, Presbyteri, Prioris Argenteliae Et Reg.
Christianiss. A Confessionibus Institutiones Juris
Ecclesiastici**

Fleury, Claude

Moguntiae, 1760

V. De competentia judicis ecclesiastici.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67899](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67899)

apparito-
res.

V. INTERIM in hoc foro tam pauca versantur litigia, ut plerique ministrorum pluribus fungantur officiis, ut iidem sint notarii apostolici & procuratores postulantes, immo interdum etiam procuratores in curia Romana, aut libelliones insinuationum, aut advocati summorum tribunalium. Apparitores etiam sunt laici, qui citationes intinuant, aliaque munia obeunt, quæ tamen etiam per apparitores iudicum sæcularium obiri possunt. Ex omnibus igitur hujus tribunalis membris solus officialis, vicegerens & promotor clerici sunt. Officiale autem oportet esse presbyterum, & theologiæ vel juris doctorem aut saltem licentiatum¹.

1) Stat. Blef. art. 45. declar. 1680.



C A P. V.

DE COMPETENTIA JUDICIS
ECCLESIASTICI.

I.

Judicis
ecclesia-
stici sunt
causæ
spiritua-
les.

JURISDICTIONI ecclesiasticæ, ut ceteris, lites definiendæ & crimina vindicanda proponuntur. Prius genus rerum vocantur *causæ civiles*. Moribus Franciæ hodiernis ecclesia solum de causis *mere spiritualibus*, nullo habito personarum respectu, & de causis *personalibus* eorum, qui in sacris sunt, cognoscit. *Mere spirituales* causæ sunt sacramentorum & cultus publici.

II. INTER sacramenta solum *matrimonium* conventionibus patet, quæ tamen pleræque per adpellationes *tamquam ab abusu* in forum sæculare deducuntur. Nam qui matrimonium *nullum* declarari desiderant, quod vel a minoribus, vel sine trina proclamatione, sine consensu parentum, sine testibus, absente pastore, &c. initum sit, ii a matrimonii celebratione *tamquam ab abusu* adpellant, postulantque, ut matrimonium *male, nulliter & abusive* contractum declaretur; quod facilius a iudice laico, quam ab ecclesiastico impetrari norunt. Sponsalia tamen plerumque ad iudicem ecclesiasticum perferuntur, si vel *consummata* sunt, vel *resolvenda*. Prius præcipitur, si accessit concubitus; &, si pars refractaria est, vel dolo fecit, quo minus connubium perfici possit, pœna canonica ac eleemosyna iungitur, partibusque commendatur, ut de damno ac de eo, quod interest, laicum iudicem adeant. Nam si ecclesiasticus de eo cognosceret, *abusus* foret.

III. Si matrimonium consummatum impugnatur, quod vel prior conjux superstes, vel votum emissum, vel gradus prohibitus, vel aliud impedimentum *dirimens* subsit, veluti impotentia; iudici ecclesiastico competit cognitio. Si nullum declarat matrimonium ob vinculum præcedens, vel ob cognationem; partibus iungitur, ut mutuam congressum vitent: si ob impotentiam, impotenti interdicit, potenti permittit matrimonium. Olim probandæ impotentia *congressus* iuncti; sed

talia judicia, a temporum nostrorum pudore abhorrentia, proscrip̄ta sunt senatus consulto Parisiensi d. 18. Febr. 1677. Quoties matrimonium nullum declaratur, partibus, nisi in bona fide fuerint, pœna canonica, quippe in canones peccantibus, est infligenda. Matrimonio subsistente, si conjux conjugī consuescere nolit, vel a toro separari velit; judicis ecclesiastici deberet esse cognitio, quia *debitum conjugale* est juris divini, & conjuges corporum suorum non sunt compotes^r. In praxi tamen distinguitur. Nam si agitur ad consummandum, h. e. si pars partem in judicio prosequitur, ut recipiatur, quam *instantiam adhesionis* adpellamus, & si actor vincit; ecclesiasticus judex reum vel ream de officio admonet. Sin agitur *ad separationem*, laicus cognoscit, quia *separatio corporum comitem habet separationem bonorum*.

1) 1 Cor. VII. 4.

& quæ ad
cultum
publicum
pertinent

IV. CULTUS publicus litibus ansam præbere potest, si vel *sacra turbantur*, vel fundationes, seu legata pia non persolvuntur, vel cantores stipendio defraudantur, vel statuta diœceseos ratione horarum non observantur. De quibus omnibus judex judicat ecclesiasticus.

item be-
neficiaræ

V. IDEM cognoscit de *caussis beneficiariis*, quum ecclesiæ maxime interlit, qui ministri eligantur, quomodo redditus administrantur. Quod utut nemo eat inficias; invaluit tamen abhinc annis CCC. distinctio inter *possessorium & petitorium*; hac occasione. Iis

temporibus, quibus reges minus, & dynastæ plus auctoritatis habuere, sæpe contigit, ut qui jus ad beneficia venditarent, vi ea occuparent vel possidentem vi ejicerent. Duo rivales nobiles, de episcopatu contendentes, suis quisque amicis & agnatis stipati, speciem belli excitarunt in provincia; ad quod sopiendum regii judices accurrentes pronuntiarunt, uter interea, dum de jure coram Metropolitanano aut papa lis definiretur, possidere deberet. Quod improbari non poterat, quoad intra *summariū* se continebant, simplicemque possessionem facti ei, cujus jus maxime apparebat, præstabant, ac alteri vim interdicebant, seposita jurium cognitione & discussione. Sed non intra hos terminos sublitere, perhibentes, in causis beneficiariis nullam possessionem justam esse sine *titulo*, quia bona ecclesiastica non sint instar bonorum sæcularium, quæ a proprietario derelinqui & primi occupantis fieri possent. Unde ante de *titulo* & de *habilitate*, quam de possessione, judicandum esse inferebant. *Titulos* autem adpellant acta, quæ dant jus ad beneficium, ut sunt literæ provisionum, provisionum laudatio, instrumentum de possessione impetrata. *Habilitatem* vocant acta, quæ probant personæ habilitatem, veluti testimonium e libro baptismali, de tonsura, de ordine, de laurea academia impetrata. Quod quum sæpe in longiorem discussionem exeat, ac interim necessarium sit, ut partibus sua assignentur nomina, quo constet, uter actor, uter reus sit; duplicis generis possessoria constituenda fuere, alterum summarissimum, quod

durante hac discussione obtineret; alterum ordinarium, quod plenam & definitivam possessionem ac *manutentionem* daret. Quo facto iudex laicus ex praescripto statuti *de an. 1539.*² partes ad iudicem ecclesiasticum *petitorii causa* ablegare deberet; sed hoc negligitur, quia, quum obtentu *possessorii* causa accurate cognita, & saepe in secunda ac tertia instantia ventilata est, inutile ac onerosum partibus videtur, de eadem re novam licem auspicari. Quidquid hujus est, hodie partes in *petitorio* de beneficiis iudicem ecclesiasticum adire non possunt; qui si in huiusmodi causis sententiam quamcumque ferret, regii procuratores ab eodem, *tamquam ab abusu*, appellare non dubitarent: idque auctoritate senatus consulti d. 15. Jun. 1626. publicati². Sic ecclesia in Francia penitus privata est cognitione in *causis beneficiariis*. Sententia provisionalis in *possessorio*, quam *recredentiae* vocamus, executioni datur, nulla adpellationis ratione habita; nec *possessorium ordinarium*, adpellatione interposita, suspenditur, secundum formam *recredentiae*³. Si alter ex litigantibus durante lite decedit, lis prosequenda non esset, quia beneficiorum heredes non dantur, &⁴ praecipitur, ne lite pendente litigiosa beneficia aliis conferantur. Sed provisiones ex aula Romana ad hanc regulam non adstringuntur, quum resignatarius resignanti, vel noviter provisus defuncto veluti successor singularis vel heres surrogetur. Surrogatio tamen postulanda est, & quidem intra annum, qui terminus *actionibus possessoriiis* est praestitutus.

1) art. 49. §7. 2) du Fres. Journ. C. 1. c. 112.

3) Ed. 39. 61. Brod in Louet. R. 23.

4) C. 2. ut lite pend. in 6.

VI. EADEM distinctio extensa est ad ^{decima-}
decimas, de quibus in *possessorio* cognoscunt lai-^{les,}
ci iudices: cognoscunt etiam de quota decima-
rum plene, & de curatorum portione congrua
summariter. Quod de decimis ecclesiasticis est
intelligendum: nam de *infendatis*, quæ habent
naturam bonorum secularium, etiam in peti-
torio cognoscunt.

VII. IN *caussis mere personalibus* cle-^{persona-}
ricorum, & quæ versantur inter clericum & ^{les cleri-}
laicum, si clericus reus sit cognoscit ecclesia-^{corum,}
sticus iudex. Sed ubi vel tantillum *caussæ rea-*
lis vel *mixtæ* concurrat, veluti in actione hy-
pothecaria; Clerici, etiam si conveniantur, lai-
cum adeunt, æque ac si agitur de implendo
contractu coram notario inito, aut de agnitio-
ne ejus, quod promissum est. Immo etiam in
caussa mere personali, si clericus contra cleri-
cum in eodem foro degentem agit, laicum adit,
cujus & justitia promptior, & executio facilior,
quæ apud ecclesiasticum languet¹. Equidem
clericus conventus in *caussa inere personali* fo-
rum laicum declinare, ac petere potest, ut ad
ecclesiasticum remittatur. Sed & omittere
potest, invitis constitutionibus canonicis, quæ
hoc privilegium *juris publici* esse præcipiunt,
cui privati renunciare non possint².

1) art. 1539. art. 92. 2) C. 12. X. de foro compet.

VIII. HABENT tamen episcopi, quo ^{solatium}
orbitatem iudiciorum solentur, si perpendunt, ^{episcopo-}
^{rum.}

jurisdictionem ecclesiasticam origine tenus & ex mente evangelii non in eo consistere, ut quamplurimæ causæ coram episcopis disceptentur, sed ut disceptationes judiciales ab episcopis præveniantur & sufflammentur: licet hodie nec lites inter ipsos clericos, ut olim impedire, nec ministros ecclesiæ dignos, quod canones jubent, eligere valeant.



C A P. VI.

DE PROCESSU CIVILI.

I.

origo
processus
formula
rii.

VIDEAMUS jam nunc, quo ordine in foris ecclesiasticis *causæ civiles* disceptentur, ut postea separatim *criminalia* conjungi possint. Primis sæculis quum judicia ecclesiastica in causis sæcularibus essent instar *arbitratorum*, & in spiritualibus caritatem sequerentur; procul habuere formulas tribunalium sæcularium, regulis scripturæ sacræ & canonicis unice intenta. Quæ judiciorum ecclesiasticorum & sæcularium differentia elucescit ex collat. Carthag. ¹ & ex compluribus conciliis. Sed quingentis & amplius abhinc annis formularum ambages, velut agmine facto, irruerunt in tribunalia sacra, quibus studium *juris Justiniani* fenestram aperuisse videtur, cujus placita veterem modum agendi, solo usu conservatum, everterunt, quum judices ecclesiastici strictum jus omnesque juris formas observare niterentur, quas judices sæculares ne-